

*Silvije Strahimir Kranjčević (1865—1908)*

## MONUMENTUM LEONIS APUD CHAERONEAM

In luce lunae plenae dormitat in nocte occulta Caprena, vicus parvus in Chaeroneae pulvere prostratus. Id eius cubile mirum in pallore magico et pagus amiculo ex carmine purpureo velatus.

O qualis ea purpura et quomodo rubet etiam nunc sanguine madido, qui olim profluit pro cara terra Graecorum et arenam imbuat, libertate sacra a barbaris fracta.

Tum dea virgoque in Acropoleos cacumine acerbe lacrimavit, dum hastam eius hostis declinavit et cor eius dolore diruptum intuens hostium gloriam in marmore arcis Cadmeae et in templo suo splendentem.

Olympi pater hominum deorumque stupefactus cernens in ramo olivae in laureto sanguinem fuscum exhalantem et palmam pacis securibus collabentem.

O Hellas, etiam hodie in nocte occulta dormitat Caprena vicus parvus apud Chaeroneam tuam, qui per saecula per longinqua dormitavit in pallore magico, postquam amiculo ex carmine purpureo velatus est.

In medio campo deserto multa nocte, ubi cohors sancta cecidit, in sepulcreto liberorum tuorum, formidolosus leo dormit et ungue suo et Thebas et Athenas defendit, sed interdum eius oculi marmorei lacrimant.

In serie diuturnorum annorum, prima luce cruenti diei, in vico parvo media nocte tintinnabula sonum dant ex turri sacra aediculae, quae ad sepulcretum libertatis sita est, ubi nymphae lyraque Apollinis cecinerunt.

Ah, ita omni anno tintinnabulo nocturno pulsato, leo formidolosus somno excitatus in altum incedens, unguesque acres contrahit, at auxilio orbatus animo deficit et lacrimae eius effusae in tabulam marmoream labuntur.

Ex nebula densa, quae campos circum intexit, tum in agminibus longis vixdum propius ad imaginem adumbratam umbrae accedunt, oculis similibus crystallo leonem metuendum contemplantur: haec caterva Graecorum antiquorum immortaliumque!

Et ei narrationes narrant, ut oculos eius exhilarent et carmina canunt de gloria gladii Chaeronensis. Sed ille elinguis in tabula marmorea tremit. Lacrimas homines exanimis et dii mortui effundunt!

At Macedo in ossa Chaeronensia cadit et poenas expians caput victoriosum demittit et invocat, aegre invocat: — Omnia effluxa, — ignosce, post pugnam apud Chaeroneam gloriam Graecorum protuli!

Sed leo formidolosus consurgit, oculi eius ut sanguis ardent, ungue eius contrahuntur lateraque tremescunt et elinguis leo corpore toto in tabula marmorea tremit, dum lacrimas homines exanimis et dii mortui effundunt.

Praeterita nocte media et ultima umbra sublata poeta ignotus in conspectum leonis apud Chaeroneam venit, ut lacrimas eius in sepulcreto libertatis abstergeat et et in fervore recordationis jubam eius osculetur.

Tum eos luna diu in sepulcreto libertatis silentes inter se complexos cernit, nam ubique nox et campi mortui — et nihil, prorsus nihil; sed vulnus Chaeroneae tantum leo et poeta sensibus percipiunt.

*Zagreb.*

*Versio: T. Smerdel.*